



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



Difs.  
695.  
12

Dif. Egg (12.11.20)



QUÆSTIONES  
THEOLOGICÆ  
AD  
MENTEM DOCTORIS SUBTILIS  
JOANN. DUNS SCOTI,  
<sup>DE</sup>  
STATU NATURÆ IN-  
NOCENTIS, ET STATU NA-  
TURÆ LAPSÆ.

In Conventu Monacensi  
FF. Minorum S.P. Francisci, Refor-  
mat. Prov. Bav. S. Antonij de Padua  
sub Capitulo Provinciali publicæ Di-  
sputationi expositæ.

P R Ä S I D E  
P.F. SOPHONIA RIEGER,  
Eiusdem Ordinis, in Studio Generali  
prefati Conventus SS. Theologiae  
Lectore actuali.

D E F E N D E N T I B U S  
(CONSTANTINO HÄGERER,  
P.P. F. F. &  
(SABINIANO FRITSCH, Präfat.  
Ord. SS. Theologiae studiofis.

Ad diem 10. Mensis Maij horis pomeridianis  
Anno 1708.

Cum Facultate Superiorum.

---

Monachii, Typis MATHIAS KIEDLA

Dif. Egg (12.11.91).



QUÆSTIONES  
THEOLOGICÆ  
AD  
MENTEM DOCTORIS SUBTILIS  
JOANN. DUNS SCOTI,  
<sup>DE</sup>  
STATU NATURÆ IN-  
NOCENTIS, ET STATU NA-  
TURÆ LAPSÆ.

In Conventu Monacensi  
FF. Minorum S. P. Francisci, Refor-  
mat. Prov. Bav. S. Antonij de Padua  
sub Capitulo Provinciali publicæ Di-  
sputationi expositæ.

P R Ä S I D E  
P. F. SOPHONIA RIEGER,

Ejusdem Ordinis, in Studio Generali  
prefati Conventus SS. Theologiæ  
Lectore actuali.

D E F E N D E N T I B U S  
(CONSTANTINO HAGERER,

P. P. F. F. &  
(SABINIANO FRITSCH, Praefat.  
Ord. SS. Theologiæ studiosis.

ad diem 10. Mensis Maii horis pomeridianis  
Anno 1708.

Cum Facultate Superiorum.

---

Monachij, Typis MATHIAS RIEDLI

VIRO JUSTISSIMO, INTEGERRIMO,  
S. JOSEPHO,  
JESU CHRISTI NUTRITIO  
PRÆLECTO,  
B. VIRGINIS SINE LABE  
CONCEPTÆ SPONSO  
CÆLITUS VOCATO,  
Utriusque Custodi Supernè desti-  
nato,

ERegia Davidis Stirpe Clarissimo,  
Ac suorum in terris Clientum Patrono.  
singularissimo, &c.

HASCE THESIS,  
*In eternam beneficiorum memoriam*,  
*In debita gratitudinis contestationem*,  
*In piissimi affectus, observantie, & honoris*  
*argumentum*,  
*In gratiæ protectionis perennitatem*,

Humiliè dicant & consecrant,  
Devotissimi Clientes

F. F. Minores Reformatæ  
Provinciæ Bavariæ,

Bayerische  
Landesbibliothek  
München

Digitized by Google

PRÆ-



## PRÆFATIO.

**Q**uintuplex communiter distinguit status naturæ humanæ, nempe status naturæ puræ, naturæ innocentis, naturæ lapſæ, naturæ reparatæ, & naturæ beatificæ. *Status naturæ pure* dicitur, in quo homo possidet omnimodam suam perfectionem naturalem, caret tamen omni dono supernaturali ad finem supernaturalē conducente, peccato quoque originali, adeò, ut nec per gratiam ad altiorē ordinem promoteatur, nec per peccatum originale deprimatur, sed sibi, & viribus ac dotibus suis naturalibus plenè relinquatur. *Status naturæ innocentis* est, in quo homo fuit primū à Deo conditus, & præter naturalem perfectionem à Deo accepit justitiam originalem, aliisque plura beneficia tam ad corpus, quam ad ani-

*Prefatio.*

mamspetantia. *Status naturæ Lapsæ* est, in quo humanum genus, postquam in Adamo excidit ab Innocentia, spoliatum fuit omnibus donis gratuitis, & infectum peccato originali, multisque cumulatum miserijs. *Status naturæ reparatae* vocatur talis per gratiam & meritum Christi, qui est Reparator, Mediator, Medicus, Salvator, & Redemptor noster. *Status denique naturæ beatifice* est, in quo omnia hominis desideria plenissimè satiantur, seu est status æternæ felicitatis.

Ex his duos solum elegi, statum scilicet naturæ innocentis, & statum naturæ Lapsæ: Primum quidem, quia ejusdem saltē meminisse juvat; Secundum vero, quia præcellentem hominis dotem, niempe libertatem demonstrat, cūmque revolvere ac lugere prodesse potest: de his proin in compendio agendum, additis pro ampliori disputandi materiâ Parergis ex quatuor libris Sententiarum.

CA.

ଶ୍ରୀମଦ୍ଭଗବତପ୍ରକାଶନକାରୀଙ୍କ ପ୍ରକାଶନ କରିଛନ୍ତି ।

## CAPUT I.

# DE STATU NATURÆ INNOCENTIS.

**D**EUS creavit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum &c. Et secundum se vestivit illum virtute. Eccli. 17. creavit nempe eum quoad omnem corporis integritatem perfectissimum, infudit animam nobilissimam cum perfectissimis potentijs, & vestivit eum virtute, plurimis scilicet dotibus, ac corporis, animaque ornamentis, propter quae preparavit ei paradisum plurimis deliciis dulcem, tanquam locum tanto hospite, tamque ornato dignum, quem proinde unacum alijs naturae innocentis dotibus &c. in praesenti breviter considerabimus.

2 Cap. I. Quæst. I. quis & qualis fuerit locus seu domicilium primorum Parentum in statu

## QUÆSTIO I.

Quis & qualis fuerit locus seu domicilium primorum Parentum in statu  
Innocentia?

Plura sunt in hac quæstione edicenda & resolvenda. 1. an primi Parentes producti sint in vel extra paradisum? II. Quid sit paradiſus? III. Qualis fuerit ejusdem situs, an sublimis vel depresso? IV. In quanā mundi parte fuerit positus? V. Quæ fuerit ejusdem magnitudo? & VI. demum, an paradisus etiamnum extet?

Resp. I. Adamus extra paradiſū, Eva vero intra paradiſū fuit condita. Ita communiter SS. PP. & Expositores, ac Scholastici. Prob. 1. pars I. ex illo Gen. 2. ubi dicitur: *In quo posuit hominem, quem formaverat, ubi per ly quem formaverat, significatur, priùs hominem fuisse formatum, & posteā in paradiſo positum: ergo &c.* II. ex eodem cap. ubi habetur: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum, ubi verbum, tulit hominem, aperte suppo-*

*primorum parentum in statu innocentia?* 3

Supponit jam fuisse hominem , qui ferri localiter posset: ergo &c. Ratio autē primaria hujus facti fuit libera Dei voluntas , cuius voluntatis congruentia aperietur inferius.  
*Prob. etiam 2. pars. quia cit. cap. 2. Gen.*  
Adam dicitur statim post suam creationem fuisse positus in paradyso , & ibi adducta ad eum animalia , & postea Deum soporem ei immisisse, & ibi ex costa ejus formatam esse Ewam : ergo cum hæc contigerint in paradyso , sequitur, Ewam à Deo esse conditam in paradyso . Congruentia hujus patebit ex dicendis.

Dices 1. contra 1. part : Angeli sunt creati in cæloempyreo : ergo etiam Adamus in paradyso. R.N.C. quia homo secundum naturam suam corruptibilis in paradyso ex supernaturali dono conservandus erat; ut ergo hoc agnosceret, extra paradysum creatus , in illo posteā positus est: Angeli autem sunt secundum naturam suam incorruptibiles.

Dices 2.contra 2. part. 1. non videtur congruum , quod fæmina fuerit producta in loco nobiliiori , quam vir : ergo &c.

**4 Cap. I. Ques. I.** quis & qualis fuerit locus seu domus.

**I.** Eva in illo loco creata est , in quo Deus adduxit animalia ad Adam , ut eis nomina imponeret , sed locus ille non fuit paradius ; quia non conveniebat dignitati illius loci , bruta animalia ibi habitare : ergo &c. **III.** Praeceptum illud , *de ligno scientia boni & mali ne comedas* , datum est Adæ statim ac translatus est in paradisum , sed simul etiam impositum est Evæ , ut ex ipsis verbis constat , *præcepit nobis Deus* : ergo illa simul translata est ; ac proinde jam erat producta.

**R. ad r. N.A.** quia alia fuit ratio mulieris , cui licet secundum naturam locus paradii non deberetur , eum tamen ab initio obtinuit , ob dignitatem Adami , velut principii , ex quo jam in paradisum translato fuit formata : dein prius allata ratio de Adamo , non amplius urgebat pro Eva ; nam ex creatione Adami suæ naturæ conditionem facile cognoscere poterat. **Ad Q.** N. min : quia congruum videbatur etiam ibi habitare animalia , ut homo eorum aspectu & cognitione recrearetur , & occasionem sumeret glorificandi Creatorem : unde

primorum parentum in statu innocentie? 3  
de S. Damascenus, quando dicit, quod in  
paradiso nullum animal rationis expers  
versabatur, intelligi potest, homine invi-  
to, vel quod nullum ibi erat, quod homi-  
ni non obediret, ac si non esset rationis ex-  
pers. *Ad 3. min.* D. præceptum illud est eti-  
am impositum Evæ mediæ C. immediatè  
N. hoc autem sufficit, ut præceptum illud  
dicatur datum ambobus.

Resp. II. Paradisus fuit locus par-  
ticularis, corporeus, terrestris, veris ac rea-  
libus plantis & arboribus consitus & ple-  
nus, ac vero fonte, fluminib[us]que irri-  
gius. Ita in se communior. Dicitur *1.*  
*locus particularis*, quia paradisus non fuit  
universæ terræ ambitus (ut aliqui puta-  
bant) sed certus ac determinatus terræ lo-  
cus; alias non bene diceretur, quod Deus  
prius formaverit hominem de terra, &  
postea illum transtulerit in paradisum. Di-  
citur *2. corporeus terrestris*; quia non erat  
locus spiritualis & mysticus, ut docet com-  
munis contra Origenem. Dicitur *3. veris ac  
realibus plantis & arboribus consitus & ple-  
nus*; Inter præcipuas autem arborū species,

6 Cap. I Quest. I. quis & quodis fuerit locus seu domus  
fuerunt arbor scientia boni & mali, ac ar-  
bor vita : Secunda ideo dicebatur *li-*  
*num vita*, quia ejus fructus assumptus in  
edulium habuit miram vim vivificam, seu  
ad vitam hominis conservandam & pro-  
pagandam ; prima vero dicebatur *lignum*  
*scientia boni & mali*, per anticipationem  
ex praeviso eventu futuro, quia licet Adā  
speculativè antē sciret bonum & malum,  
attamen comedens ex vēto fructū, pra-  
cticè & experimentaliter cognovit, quan-  
tum bonum peccando amiserit, & in qua  
mala exinde fuerit prolapsus : cuiusnam  
autem fuerit speciei, variant Doctores;  
quidam enim putant, fuisse vitem, alij si-  
cum, alij probabilius malum, juxta illud  
Cant. 8. *sub arbore malo fuscitavi te, ibi cor-*  
*rupta est mater tua, ibi violata est genitrix*  
*sua.* Dicitur tandem, ac vero fonte, flu-  
minib[us]que irrigatis ; quia fluvius egredie-  
batur de toco voluptatis ad irrigandum para-  
disum, qui inde dividitur in quatuor capita.  
Gen. 2.

Fuit itaque paradiſus locus volunta-  
tis, salubri astrorum influxu, aëris tempe-  
rie,

primorum parentum in statu innocentia? 7  
rie, aquarum irrigantium, & speculi instar,  
hujus amoenissimi loci speciem gratissimam,  
intuentibus referentium copiam, terrae fœ-  
cunditate maximam, plantarum, arborum  
nunquam suis frontibus totaliter nudata-  
tarum, florum suavissimorum, fructuum  
dulcissimorum, & pretiosissimorum aro-  
matum abundantiam, deliciarumque om-  
niū congerie exultissimus: & in hoc pos-  
tus est homo, ut operaretur & custodiret  
illum, non corporaliter, vel saken labo-  
riosè agriculturam exercendo, sed spiritu-  
aliter, scilicet Deum colendo, super om-  
nia diligendo, crebro ipsi gratias agendo,  
& imposita præcepta implendo, ut ita se  
ipsum in paradyso custodiret, ne ejici me-  
reretur.

Resp. III. Paradyssus non fuit situa-  
tus in planicie, nec in loco ita excelsa,  
quod secundam aëris regionem excederet.  
Ita Frassen h̄ic tr. 3. disp. 2. art. 1. q. 2. n. 3.  
& alij. Prob. 1. pars I. quia cum paradyssus  
secundum SS. PP. & dicta antecedenter  
fuerit locus saluberrimus, debuit etiam esse  
liber ab immodicis ventis, & terræ vapo-  
ribus.

**3 Cap. I. Quæst. I.** quis & qualis fuerit locus seu domus.  
ribus, sed hoc non foret, si in planicie jac-  
ceret: ergo &c. H. Quia nisi paradisus al-  
tior staret, quam nostra terra à nobis de fa-  
&to inhabitata, quatuor illa flumina, quæ  
ex illo dicuntur egredi, non possent  
commodè totam terram irrigare, nec per  
tam varias, latèque diffusas orbis regiones  
discurrere: ergo &c. **Prob. etiam 2. pars:** quia  
locus adeò sublimis nec salubris est, nec  
hominum habitationi accommodatus, ob ni-  
mā siccitatē, ardorem continuū, continua  
agitationem, ex vicinia clementi ignis, &  
raptu cœlorum, ob venti suaviter flantis  
& refrigerantis absentiam, & hujusmodi:  
ergo &c.

Dices contra 2. part. tanta debuit esse  
paradisi sublimitas, ut ad eum pertingere  
non potuerit diluvij inundatio: ergo &c.  
**R. conformiter Scoto 2. dist. 17. q. 2.** quod  
sicut diluvium generale non naturali serum  
occurru, sed miraculo divinitus accidit;  
ita quoque miraculo factum est, ut paradi-  
sus à diluvij exitio servaretur.

**Resp. IV.** probabilius paradisus ter-  
restris in confinibus Mæsopotamiæ & Ara-  
biæ

primorum parentum in Stark Innocentia? 9  
biz Orientalis, non procul à Chaldaea & Sy-  
ria Damascena consitus fuit. Ita comuniior  
inter Recentiores. Prob. I. ex Scriptura S.  
ubi vulgata nostra habet: plantaverat an-  
tem Deus paradisum voluptatis, hebraica di-  
cit: plantaverat Deus paradisum in Eden;  
sed Eden. in Syriae vel Mesopotamiae con-  
finibus fuisse ex eadem Scriptura S. colligitur  
¶ Reg. 19. ergo &c. II. Mesopotamia  
est Regio, quæ omnes alias terræ plaga-  
fructuum suavitate, omnisque generis deli-  
cias, varijs etiam naturæ dotibus antecelle-  
re videtur, ut refert Strabo & Curtius lib.  
5. &c. ergo verisimilius est, in hac Regione  
ne potissimum esse paradisum constitutum.  
III. paradiſus non adeò longè dissipatus vide-  
tur à Judæa, à qua & Mesopotamia non  
adeò dissipata est; nam dicunt PP. Adamum  
paradiso ejectum peragratis aliquot locis  
venisse in Judæam, ibi q; mortuum, ac sepul-  
tum in monte, qui à posteris, quod ibi ca-  
put primi hominis jaceret, Calvariarum mons  
fuit appellatus, in quo Christus crucifixus,  
Adæ peccatum luit & expiavit ergo &c.

Resp. V. Probabilis paradiſus non  
fuit

**ro Cap. I Quest. I.** quis equalis fuerit locus secundum  
fuit tam spatiiosus, ut 15. vel 20. leucas ex-  
cesserit. Ita colligitur ex S. Aug. lib. 8. in  
Gen c. 10. *Prob.* quia paradisus terrestris,  
ut nobis describitur à Moysè, erat amoenus  
aliquis hortus, locatus in Regione Eden,  
& in medio ejusdem fuit lignum vitæ, &  
lignum scientiæ boni & mali, sed ex his  
omnibus probabilius coniicxitur, paradi-  
sum, non fuisse locum adeò spatiosum, ut  
15. aut 20. leucas excesserit: ergo &c.

Dices: si Adamus non peccasset, omnes  
ejus posteri paradisum terrestrem incolui-  
sent, sed illi intra spatium 15. aut 20. leu-  
tarum contineri non potuissent: ergo &c.  
*R. transmissa* maj. N. min. nam cum in eo  
felici statu nullo frigore, nulloque solis  
ardore agitati fuissent homines, & etiam  
nec domibus, nec palatiis indiguissent, a-  
deoque plurimi simul habitare potuissent:  
dein non omnes homines nascituri, sem-  
per in eo mansissent, sed forte, qui essent  
provectioris ætatis, & perfecti meriti, in  
æclum fuissent translati, ut docet Ma-  
gister Sent. nihilominus nil certe de hac re  
determinari potest.

**Resp. VL**

Resp. VI. Paradisus probabilius adhuc unicum sua amoenitate persistit. Ita Bellarm. tom. 4. lib. 1. de grat. primi hominis. c. 14. citans plures SS.PP. *Prob. 1.* quia constat de fide, paradisum aliquando fuisse, & non constat eum destructum esse: ergo credibilius est, cum adhuc persistere: *Prob. 2.* membrum Antecedentis ex illo Gen. 3. ubi dicitur Deus collocasse Cherubim ad custodiendam viam ligni vite: ergo signum est, noluisse Deum destruero paradisum, sed conservare illum; quia si post nonnullos annos illum destructurus fuisset, facilius illum statim destruxisset, vel saltem lignum vitæ eradicasset in personam primi peccati, quam specialem custodiad adhibuisset. II. quia convenit divinitate bonitati, locum illum delicosum relinqueret, ut illi, qui de terra ablati, & nondum in cælum sunt assumpti, quales fuerunt Enoch & Elias, commorationis locum habeant & tranquillæ quietis: ergo &c.

Dices 1. paradisus est omnibus ignarus, & à nemine inventus: ergo signum est, quod non amplius extet. 2. Si paradisus

12 Cap. I. Quæst. II. qualis & quanta fuerit  
disus fuit tempore diluvij, potuisset Nöe  
cum filijs, & animantibus illuc poni, quod  
tamen factum non est: ergo &c. R. ad 1.  
hoc non obstat, quia etiam de Moysè le-  
gitur Deut. 34. quod sepultus fuerit in valle  
terra Moab contra Phogor, & non cognovit  
homo sepulchrum ejus usque in presentem di-  
em: Ad 2. dico, potuisse quidem Deum hoc  
fecisse; sed quare non fecerit, videtur ra-  
tio esse, quia paradisus est locus ordinatus  
pro innocentibus, & in magna felicitate  
viventibus, quales non erant Nöe, & filij  
ejus, utpote peccato, & ruminisque obnoxij.

### QUÆSTIO II.

*Qualis & quanta fuerit felicitas quo-  
ad corpus in statu Innocentie?*

**A**damum fuisse formatum in statura &  
pulchritudine corporis perfecta, satis  
colligitur ex Scriptura S. quæ saepius per-  
fectissima esse opera Dei testatur; unde &  
hominem, præstantissimum Dei creatoris  
opus, omnibus numeris absolum in pri-  
ma sua creatione conditum fuisse suadet:  
præterea fuit formatus in ea corporis con-  
ditione

*felicitas quo ad corpus in statu Innocentia?* 23  
ditione, qualem exigebat perfecta viri ~~z-~~  
tas quoad vires tam corporis, quam men-  
tis: fuit insuper maximâ corporis felicita-  
te donatus, adeò, ut esset compendiū quod-  
dam totius pulchritudinis, ac perfectionis  
relucentis in alijs corporeis creaturis, prout  
satis constat ex Authoritatibus passim obvi-  
is. Quæritur itaque hîc solùm, an Adamus in  
statu innocentiae fuerit imortalis, & qualiter?  
Itē, an fuerit impassibilis, & qualiter?

Resp. I. Adamus in statu innocen-  
tiæ fuit aliquo modo quoad corpus immor-  
tal is. Ita communis. *Prob.* I. ex *Script.*  
*S. Gen. 2. in quocunque die comederis ex*  
*eo, morte morieris*, quæ verba non tantum  
de morte animæ, sed etiam corporis intel-  
ligenda sunt, ut expressè loquitur Aposto-  
lus ad Rom. 5. per unum hominem peccatum  
in hunc mundum intravit, & per peccatum  
mors: Ergo &c. II. ex illo *Sap. 1. Deus mor-*  
*tem non fecit*, & c. 2. *Deus creavit hominem*  
*inextirpabilem*, id est, immortalem, in-  
viciam autem diaboli mors introivit in orbem  
terrarum: Ergo &c. III. Constat hæc ve-  
ritas ex Conciliis, præsertim Milevitano

24 Cap. I. Quæst. II. qualis & quanta fuerit felicitas  
II. c. I. dicente: quicunque dixerit, Adam  
primum hominem mortalem factum, ita ut  
sive peccaret, sive non peccaret, more-  
retur in corpore, hoc est, de corpore exi-  
ret, non peccati merito, sed necessitate natu-  
ra, anathema sit; ergo &c. IV. status inno-  
centiae erat quædā inchoatio futuri statū  
cœlestis: ergo cùm ibi detur impotentia  
moriendi, in statu innocentiae saltē daba-  
tur potentia non moriendi. unde

Resp. II. Adamus in statu innocentiae  
non fuit immortalis, quia mori non pote-  
rat, sed quia mori non debebat, licet abso-  
lutè mori potuisset. Ita Scotus 2. dist. 19.  
q. un. & alij communiter. Prob. I. Ada-  
mus habuit corpus ex eadem materia, ex  
qua sunt nostra, & ex ejisdem qualitatibus  
corpus ejus erat dispositum, nempe se-  
cundūm speciem, & secundūm earundem  
qualitatum variam mixtionem pro diver-  
sitate membrorum & humorum, sed nos-  
sumus mortales: ergo & Adamus ex natu-  
râ suâ. II. corpus Adæ erat alterabile & pas-  
sibile ex actione caloris naturalis in hu-  
midum radicale, qua sit, ut utriusque vi-  
res

res imminuantur: item, quantum est de se non videtur, quare non potuisset gladio interfici, aut aquis suffocari &c. ergo &c. III. Adamus in statu innocentia indiguisset cibo & potu, eique liberum erat ab eis abstinere: ergo per se loquendo, potuisset indeâ mori; & consequenter licet Adamus mori non debebat, absolute tamen mori poterat.

Dices I. Mors est poena peccati, sed in statu innocentiae non fuisse peccatum: ergo neque mors; & consequenter Adamus non tantum potuisset non mori, sed etiam non potuisset mori. II. Adam erat ad minus, sicut hodie sunt Enoch & Elias, sed isti prouinc non possunt mori: ergo &c.

R. ad I. quod utique mors sit modò poena peccati; stante autem illo statu, si Deus non transstulisset homines in cælum post determinatum tempus, nec vellet eos à morte præservare, tunc mors non fuisse plus poena in Adamo, quam in brutis, sed fuisse conditio & imperfectio concomitans naturam ex mixtione compositam. Ad 2. dico, si ita sit, tunc Adamum fuisse

16 Cap. I. Quæst. II: qualis & quanta fuerit felicitas  
verè mortale; tales enim sunt hodie Enoch  
& Elias; nam circumferunt eam carnem,  
quam hīc habuerunt, & iterum huc refe-  
rent candem, in qua etiam re ipsa sunt mo-  
rituri, & quidem violentā morte, ut col-  
ligitur ex Apocal.

Resp. III. Radix immortalitatis cor-  
poris Adæ fuit duplex, nempe fructus sa-  
luberrimus ligni vitæ, quo deficiens hu-  
midum radicale, & vigor naturæ Adæ re-  
staurati potuisset, & exacta custodia ex-  
trinseca tam Dei & Angelorum, quam ip-  
siusmet Adami carentis sibi à noxiis. Ita  
Scotus 2. dist. 19. q. un. & alij communi-  
ter contra Thomistas adscribentes immor-  
talitatem istam alicui qualitati impressæ.  
*Prob. I. universaliter*, refutando istam qua-  
litatem: quia illa qualitas, sive spiritualis  
esset, sive corporalis, non impedivisset;  
quò minùs Adamus potuisset gladio inter-  
fici, aut aquis suffocari; non enim fecisset  
corpus ejus impenetrabile, sicut est cor-  
pus gloriosum, neque adeò leve, ut aquis  
supernataret, neque adeò resistens, ut ab  
igne lædi non posset: ergo &c. II. quia si  
admit-

admitteretur talis qualitas resistens naturaliter omni extrinseco corruptenti , eadem ratione eadem qualitas resisteret , ne una pars corporis ab alia dissimili pataretur, seu ne calidum ageret in humidum : ergo per illam qualitatem etiam factus esset Adamus incorruptibilis ab intrinseco , ita ut non indigeret cibo & potu ad vitam conservandam , quæ videntur falsa , & contra scripturam . *Prob. II. specialiter quo ad 1. part ex illo Gen. 3. ubi reddens Deus rationem , cur post peccatum Adam de paradiſo expelleret, ait : ne forte mittat manus suam , & sumat etiam de ligno vitae , & comedat , & vivat in aeternum , quibus verbis palam indicatur , immortalitatem in eostatu in Adamo obuenturam virtute ligni vitae : ergo &c.* *Prob. III. quo ad 2. part. quia fructus ligni vitae solùm reparare poterat , & confortare Adamum intrinsecè , non autem illum extrinsecè tueri ab occisione , interfectione , aliisq; causis mortis extrinsecis & violentis: ergo verisimile est , ab hoc modo corruptionis hominem fuisse servandum per specialem Dei manutentientiam*

18 Cap. I. Quæst. II. qualis & quanta fuerit felicitas  
am, & Angelorum custodiam, propriam-  
que cautelam.

Dices I. Deus non tribuit similes ef-  
fectus permanentes per solam suam extrin-  
secam voluntatem: ergo concedenda est  
aliqua qualitas. II. corpus gloriosum fit im-  
mortale per qualitatem intrinsecam: ergo  
& corpus Adæ in statu innocentie. III. est  
par ratio de dono immortalitatis, & de do-  
no, quo in eo statu sensualitas subiicieba-  
tur rationi; sed hoc præstabatur per quan-  
dam qualitatem impressam: ergo & illud.  
IV. Fæminæ in illo statu parerent sine do-  
lore, ratione alicujus qualitatis ad hoc be-  
ne disponentes earum corpora: ergo idem  
dicendum est in proposito. V. lignum vi-  
ta non poterat efficere, quin homo tandem  
desiceret: ergo non lignum vitæ, sed ali-  
qua qualitas ralem defectum impediens ad-  
mitti debet. R. ad I. N. A. quia quidam  
effectus negativi regulariter à Deo non  
causantur per formam subiecto intrinse-  
cam, sed per suam providentiam extrinse-  
cam; sic enim præservat hominem v. g. ab  
hac vel illa occasione peccandi, & non per  
ali-

aliquod intrinsecum. *Ad 2.* N. ac etiam C. & paritatem ; quia non erat talis immortalitas Adami in statu innocentia, ubi indigebat cibo & potu , qualis erit in statu beatitudinis post resurrectionem , ubi nulla talis erit indigentia , sed tunc alio modo magis intrinseco conservari petunt. *Ad 3.* N. iterum paritatem ; quia commode talis subjectio sensus ad rationem per qualitatem haberi poterat sensum representem ac rationi subdentem ; non sic immortalitas ; siquidem corpus mixtum omnino incapax est talis qualitatis incorruptibilis & corruptionem prohibentis. *Ad 4.* dico, etiam in illo effectu peculiarem Dei providentiam fuisse interventuram. *Ad 5.* R. lignum vitæ saltem ad longissimum tempus servire potuisse , quo usque nimirum Deus ante naturæ defectum tempestive hominē absque morte intermedia transstulisset ad statum æternæ beatitudinis.

Resp. IV. Adamus in statu innocentia fuit impassibilis , ratione cuius ejus corpus non percepisset aliquam afflictivam corporis qualitatem. Ita S. Aug. lib. 14.

20 Cap. I. Quæst. II. qualis & quanta fuerit felicitas  
de Civit. c. 26. & alii communiter. Prob. I.  
quia post peccatum primum fuit Evæ in-  
pœnam injunctus dolor, *in dolore paries fili-.*  
*os tuos, & Adamo sudor, in sudore vultus tui*  
*vesceris pane tuo*: ergo signum est in Ada-  
mo in statu innocentia non fuisse possibili-  
tatem corporis afflictivam. II. quia talis im-  
possibilitas decebat illum felicissimum  
statum: ergo &c. III. quia talis possibili-  
tas corporis afflictiva fuisset impedita  
partim per optimum corporis & aëris  
temperamentum ac nutrimentum, partim  
per providam hominis cautelam, partim  
per Divinam aut Angelicam protectionem:  
ergo &c. Unde non fuissent in statu in-  
nocentia morbi, dolores, fames, sitis &c.  
nec Adamus fuisset habiturus somnum, qui  
proveniret ex causis pœnalibus, sed tan-  
tum somnum provenientem ex causâ na-  
turali, qui sopor dici potest, quique pro-  
babilius intellectus operationes, ac men-  
tis elevationem ad Deum non impediret;  
maxime si cum multis admittatur, intelle-  
ctum primorum Parentum ante pecca-  
tum non dependisse à sensibus &c.

QUE-

## QUÆSTIO. III.

*Qualis & quanta fuerit felicitas quo  
ad animam in statu Innocentiae?  
Ubi etiam de peccabilitate.*

**A**DAMUM IN MAXIMÂ NON TANTÙM COR-  
PORIS, VERÙM ETIAM ANIMÆ FELICITATE  
FUISSÈ CONDITUM, PLURES INNUUNT S. SCRIPTU-  
RÆ TEXTUS, CONSTATQUE EX PŒNIS PER PECCA-  
TUM INCURSIS, SIVE BONIS, QUIBUS POSTERI-  
TAS EST PRIVATA OB PRIMI HOMINIS PECCA-  
TUM, PER QUOD JUXTA CONCILIA TOTUS HOMO  
SECUNDÙM CORPUS & ANIMAM IN DETERIUS  
FUIT MUTATUS. IN PRÆSENTI MODÒ SEQUEN-  
TIA EXAMINABIMUS. I. AN ADAMUS IN STATU IN-  
NOCENTIÆ FUERIT PRÆDICTUS GRATIÂ SANCTIFI-  
CANTE, & QUANDO EAM ACCEPERIT? II. AN  
HABUERIT JUSTITIAM ORIGINALEM, & IN QUO  
CONSISTAT? III. AN HABUERIT ETIAM SCIENTIAM  
PER ACCIDENS INFUSAM RERUM NATURALIUM?  
IV. AN FUERIT ETIAM PRÆDICTUS VIRTUTIBUS  
MORALIBUS PER ACCIDENS INFUSIS? & V. AN  
ADAMUS PRO STATU INNOCENTIÆ POTUisset  
PRIÙS PECCARE VENIALITER, QUAM MORTALITER?

Resp. I. ADAMUS IN STATU INNOCENTIÆ

B g

fui

22 Cap. I. Quæst. III. qualis & quam a fuit felicitas  
fuit præditus gratiâ sanctificante, & con-  
sequenter virtutibus Theologicis; eam ta-  
men non in creatione, sed postea acquisi-  
vit. Ita quoad 1. part. communis, 2da  
colligitur ex Scoto 2. dist. 29. tenetque eam  
S. Bonav. & alii contra Thomistas. Prob. I.  
pars ex Concilio Trid. sess. 5. in Decreto  
de peccato orig. dicente: si quis non confite-  
tur, primum hominem Adam, cum man-  
datum Dei in paradyso fuisset transgressor, sta-  
tim sanctitatem & justitiam, in qua constitu-  
tus fuerat, amisisse &c. anathema sit, ubi illa  
verba, in qua (nempe sanctitate, seu gra-  
tia sanctificante) constitutus fuerat, clare  
insinuant, Adamum habuisse prius grati-  
am sanctificantem: ergo &c. Dixi, conse-  
quenter virtutibus Theologicis; quia cum  
gratia sanctificante regulariter connec-  
tuntur habitus Theologici, ut constat in  
justificatione hominum ex Trid. Sess. 6.  
cap. 7. & alias decent hunc statum.

Prob. etiam 2. pars I. quia gratiam san-  
ctificantem primum post creationem fuil-  
se collatam, requirebat ordo sapientie, ut  
sic ut esse gratium est alterius generis,  
quam

quām esse naturale, sic in diversis temporibus homini conferretur : *ordo banitatis* ; nam sic dabatur gratia homini, secundūm quod est utilior & fructuosior; taliter enim Deo gratiōsior existere poterat , cūm ex ipso ordine dandi cognosceret, donum illud esse maximē gratuitum : *& ardo justitiae*; nam Deus secundūm legem communem requirit aliquam dispositionem à parte nostra ad hoc, quod infundat alicui gratiam , sive in eo , cui infundit, ut in adulto, sive in alio adjuvante, secundūm quod contingit in parvulo . ergo &c. It. magis convenit gratia cum gloriā, quām natura cum gratiā: sed in homine gratia præcedit gloriā: ergo etiam natura præcessit gratiam.

Dices I. Contra 2. part. Eccles. 7. dicitur, quod Deus fecerit *hominem rectum*, per gratiam maxime & sanctitatem : item Trid. cit. docet, naturam humanam fuisse constitutam in sanctitate & justitia : ergo &c. It. Deus creavit hominem ad imaginem & similitudinem suam, sed imago secundūm S. Aug. est in naturalibus, similitudo in gratuitis : ergo homo conditus fuit

*24 Cap. I. Quæst. III. quædis & quanta fuerit felicitas.*

fuit in naturalibus & gratuitis. *III.* Deus ab initio creationis fecit hominem , quantum ad ætatem & cognitionem perfectum: ergo etiam quantum ad voluntatis rectitudinem , quæ consistit in dono gratiæ. *IV.* Deus alias cæturas v. g. arbores , in statu perfecto produxit: ergo & hominem. *R.*  
*ad 1. N.C.* quia hæ & similes Authoritates solùm volunt , Adamo revera fuisse communicatam rectitudinem & sanctitatem ; non autem in ipsa creatione , sed tempore subsequenti. *Ad 2. dico* , similitudinem attendi in gratiis gratis datis : vel dic Deum fecisse hominem ad suam imaginem , non quod statim , dum dedit imaginem , simul etiam dederit similitudinem , sed quia , quando fecit ad imaginem , etiam habilem fecit ad similitudinem , quam postea etiam concessit. *Ad 3. N.* parit. quia perfectio ætatis & cognitionis , non tantum elongatur à perfectione naturæ , sicut perfectio gratiæ ; homo enim naturaliter potest pervenire ad perfectam ætatem , & potest proficere ad cognitionem ; nunquam autem potest per se acquirere perfectionem  
gra-

gratiæ, quæ necessariò infunditur à Deo.  
*Ad 4.* N. C. quia in alijs est tantum unica perfectio, scilicet naturalis; hominis autem secundum animam triplex, nempe naturalis, gratiæ, & gloriæ.

*Resp. II.* Adamus in statu innocentiae habuit justitiam originalē, quæ fuit realiter distincta à gratia sanctificante. Primum partem tanquam dogma certum & catholicum docent omnes Theologi, & probant ex effectibus talis justitiae: secundam docet Doctor subtilis l. c. contra Thomistas, & *Prob. I.* gratia sanctificans perficiebat Adamum in ordine ad finem supernaturalem; justitia originalis vero in ordine ad finem naturalem, ac naturalem integritatem & perfectionem hominis: ergo justitia originalis fuit realiter distincta à gratia sanctificante. *II.* Adamus per pœnitentiam recuperavit gratiam, quam per peccatum amiserat, eaque per Sacramentum Baptismi, etiam baptizatis tribuitur: ergo si justitia originalis non esset à gratia sanctificante distincta, eadem Adamo per pœnitentiam, & nobis per baptismum

26 Cap. I Quæst. III. qualis & quanta furio felicitum esset restituta : sed hoc dici nequit ergo &c.

Dices I. effectus justitiæ originalis erat, subiicere appetitum sensitivum rationali; sed hoc etiam facit gratia sanctificans: ergo &c. II. superfluum est, alia dona vel habitus, præter gratiam sanctificantem, multiplicare: ergo &c. R. ad 1. D. min. hoc facit gratia sanctificans cum eadem facilitate, qua justitia originalis N. cum aliqua repugnantia ex parte utriusque appetitus. C. min. & N. C. adeoque justitia originalis hoc præstabat absque ullâ reluctantia; non sic gratia sanctificans. Ad 2. N.A. quia secundum dicta gratia sanctificans perficiebat ad finem supernaturalem; justitia originalis verò ad naturalem integratem & perfectionem hominis; ergo non est superfluum alia dona & habitus multiplicare.

Resp. III. Justitia originalis non fuit unus & simplex habitus, sed multiplex Dei donum, quo totus homo rectus & perfectus evaderet. Ita Scotus cit. Prob. justitia originalis significabat rectitudinem quam,

quandam totius hominis, tam secundum animam, quam secundum corpus: ergo hæc justitia erat universalis, & plures includens effectus: sed justitia universalis, & tot habens effectus, ac facultates non tantum specie, sed etiam genere differentes perficiens, non poterat esse una simplex qualitas: ergo &c. Porro effectus justitiae originalis sunt potissimum sequentes.

I. illuminabat intellectum, ne in suis actionibus erraret. II. continebat voluntatem, ne actus inordinatos eliceret. III. arcebat à phantasia omnia, quæ illam turbare & contaminare poterant. IV. cohibebat appetitum sensitivum, ne commoveretur ante judicium rationis ad aliquid appetendum vel fugiendum, etiam præsente objecto. V. in causa erat, ut corpus præservaretur à mortiferis, & ne molesta ac noxia illi possent accidere. VI. Erat in causa, quod Deus decreverit, expleto quodam tempore animas hominum cum corporibus in empyreum cœlum elevare &c. quibus superaddebatur singularis Dei providentia & assistentia erga homines; impediens,

28 Cap. I. Quæst. III. qualis & quanta fuerit felicitas  
diens, ne quid illorum felicitatem pertur-  
baret.

Resp. IV. Adamus in statu innocentia fuit donatus ampliâ scientiâ per acci-  
dens infusâ rerum naturalium. Ita Ma-  
gister Sent. 2. dist. 23. & alii passim. Prob. I.  
ex illo Eccli. 17. disciplinâ intellectus re-  
plevit illos. Creavit illis scientiam spiri-  
tus, sensu implevit cor illorum, & mala  
& bona ostendit illis; posuit oculum suum su-  
per corda illorum, ostendere illis magnalia o-  
perum suorum, ut nomen sanctificationis col-  
laudent &c. quæ verba etsi agant etiam de  
Eva, huic tamen non necessariò videtur  
tanta sapientia aut scientia adscribenda,  
quanta Adæ, in quo specialiter militat ra-  
tio Rectoris & Capitis omnium: ergo &c.  
II. ex Gen. c. 2. quod vocavit Adam anima  
viventis, ipsum est nomen ejus: ergo signum  
est, quod Adamus jam habuerit scientiam  
animalium, ut congruenter ad naturam  
unius cuiusque eisdem nomina imponeret.  
III. Deus in mundi exordio solus & imme-  
diatè hominem produxit: ergo conveniens  
erat, ut illum perfectissimum crearet, hoc  
est

est, ut non solum daret illi, quæ à causa producente naturali proveniunt, cuiusmodi sunt sensus, potentiae, & perfectiones corporis, verum etiam alia dona naturalia, quæ decursu temporis potuisset homo studio, & diligentia enancisci.

*Dices I.* Adamus non agnoscebat naturam serpentis, qui eum decepit; nam credidit eum esse loquaceum: ergo &c. *II.* Oculi Protoparentum post esum fructus vetiti primùm sunt aperti; ergo prius erant ignari; nam ignorantia cæcitas mentis vocatur.

*R. ad 1.* N. A. quia Adamus non existimavit, serpentes esse loquaces, sed credidit sub serpentina specie aliquem Angelum delitescere, qui vera sibi loqueretur, promittendo sibi scientiam, non naturalem, sed supernaturalem, & quasi divinam: dein non Adamus, sed Eva à serpente fuit decepta. *Ad 2. dico*, apertos fuisse oculos eorum, non per alicius novæ scientiae infusionem, aut acquisitionem, sed per prioris usum & experientiam; cognoverant enim se nudatos, & expoliatos omnibus dotibus & ornamentiis innocentiae.

C

Resp. V.

30 Cap. I. Quest. III. qualis & quanta fuerit felicitas?

Resp. V. Adamus in statu innocentiae fuit etiam dotatus virtutibus moralibus per accidens infusis. Ita Doctores communiter. *Prob. I.* ex illo Eccli. 17. *Deus creavit de terra hominem &c. & secundum se levavit illum virtute*, quod uti de alijs animi dotibus, sic quoque de virtutibus moralibus non incongruenter videtur accipi: ergo &c. *II. ex illo Eccles. 7. fecit Deus hominem rectum*: ergo si Deus fecit totum hominem rectum, fecit etiam rectum quo ad voluntatem infundendo virtutes morales. *III. fuit conveniens, ut homini infunderetur scientia rerum naturalium*: ergo etiam fuit conveniens, ut ei infunderentur virtutes morales; quia sicut scientia perficit intellectum, ita haec virtutes voluntatem.

Resp. VI. Adamus pro statu innocentiae potuisset prius peccare venialiter, quam mortaliter. Ita Scotus 2. dist. 21. q. 1. & Seotista contra Thomistas & RR. *Prob. I.* dabatur in Adamo pro statu innocentiae integra libertas cum indifferentia ad utramque partem: ergo etiam dabatur potestas

ad

ad bene vel male agendum respectu cuiusvis actus virtutis & vitijs , sive gravis sive levis ; alias si non daretur pro tunc talis in homine potestas , non esset meritum in visitando peccato veniali , quod videtur absurdum . II. dona fidei , spei , & charitatis , ac virtutes morales non sunt incompatibles cum peccato veniali , ut patet in sanctissimis Vitis ; insuper perfecta subjectio potentiarum inferiorum ad rationem ad summum infert , hominem tunc non potuisse labi in peccata venialia per surrationem orientem ex parte sensitiva , non tamen infert labi non potuisse in alia peccata venialia ex objecto , ex levitate materiae &c. Ergo non videtur , quare , Adamus pro statu innocentiae non potuisse prius peccare venialiter , quam mortaliter . Unde non desunt , qui docent , primos parentes etiam de facto prius peccasse venialiter , quam mortaliter .

Dices I. ex hoc sequeretur , quod etiam posset stare peccatum veniale cum statu beatitudinis ; quia posset stare cum actu præstantissimæ charitatis , qualis est in Bea-

32 Cap. I Quest. III qualis & quanta fuerit felicitas; sed hoc dici nequit : ergo &c. II. Felicitati statū innocentiae repugnabat quæcunque poena, aut infirmitas corporalis : ergo & quæcunque culpa, etiam levissima. III. omni peccato debetur poena, & omnis poena est contraria illi statui : ergo &c. IV. Si Adamus venialiter peccasset, potuisset dolere, sed dolor & tristitia non erat in illo statu: ergo &c. V. Adamus in statu innocentiae erat in excellentiori gradu sanctitatis, habebat perfectiores virtutes, plenamque cognitionem & deliberationem : ergo non poterat eligere malum in materia veniali. VI. Omne peccatum est quædam inordinatio repugnans summæ rectitudini hominis innocentis : ergo &c.

R. ad 1. N. Seq. quia Beatus habet aliquid, quo moraliter determinetur ad non peccandum venialiter, nimirum ipsam visionem, & amorem beatificum : similia autem non essent in statu innocentiae. Ad 2. D. A. repugnabat quæcunque poena, nisi quam libere quis sibi procuraret C. quam voluntariè sibi procuraret N. A. & C. un-

de pro illo statu posset homo pati saltem leves pœnas , quas ipsem et pro voluntate sua experiri & pati vellet. *Ad 3. dico*, non quamcunque pœnam esse contrariam illi statui ; adeoque tali peccato posset & potuisse correspondere pœna animi , nempe displicentia de ejus admissione : imo potuisse etiam tale peccatum expungi per actum charitatis , vel intensioris obsequij Divini. *Ad 4. N. min.* quia talis dolor non invertisset illum statum , & felicitatem ejus, licet aliqualiter minuisset. *Ad 5. N. C.* quia ex hac & similibus rationibus solum habetur , Adamum non tam facilè lapsum fuisse, sicut modò viatores : dein potuit his non obstantibus labi in materia mortali , ergo & veniali. *Ad 6. R.* tale peccatum non corrupisse rectitudinem hominis innocentis.

#### *QUESTIO IV.*

*Qualiter & quinam fuissent nati in  
statu Innocentia?*

**E**Tiamsi Adam non peccasset, nihilominus genus humanum in plura individua

34 Cap. I. Quest. IV. qualiter & quinam fuissent  
dua multiplicandū fuisse, omnes Theologi  
admittunt, & sufficienter ostenditur ex di-  
vina benedictione: *crescite & multiplicamini*  
Gen. 1. quia illa benedictio data est homi-  
nibus, non occasione peccati, sed propter  
bonum talis naturæ: probabilius autem  
fuisset genus humanum in statu innoen-  
tiax propagandum per veram copulam con-  
jugalem, seu generationem carnalem; nam  
virtus generativa est perfectio naturæ, non  
frustra concessa, nec propter peccatum,  
sed ad multiplicationem naturæ, & imple-  
tionem supernæ civitatis Jerusalem. Por-  
rò omnes proles in eo statu fuissent natæ  
cum solita parvitate corporis, aliquali ta-  
men usu potentiax progressivæ, & aliquali  
usu rationis: primum enim exegisset an-  
gustia uteris materni, nec aliud constat Au-  
thoritate; secundum exinde patet, quia alii  
homo in statu innocentiax fuisset infe-  
rior animantibus cæteris, quæ etiam nunc  
in lucem edita mox progrediuntur, & vo-  
cem generi suo propriam emittant; tertium  
postulasset perfectior in illo statu  
per-

perfectissimo complexio. His proin suppositis, sequentia sunt h̄ic solvenda. I. An perseverante statu innocentiae posteri Adami fuissent nati in gratiā sanctificante, in eāque confirmati? II. An in tali gratiā fuissent confirmati ab initio suæ nativitatis? III. An tunc soli electi fuissent nati, ac ijdem numero, qui de facto sunt prædestinati?

Resp. I. Si perseverasset Adamus in statu innocentiae posteri ejus fuissent nati in gratia sanctificante, in eāque confirmati. Ita Doctores communiter. Prob. I. pars I. ex Concilio Arauicanoc. & Trid. Ses. 5. de peccato Originali, ubi determinatum est, Adamum peccando sanctitatem & justitiam perdidisse, non sibi tantum, sed & posteris: ergo si posteris perdidit sanctitatem, scilicet gratiam sanctificantem, habebat hanc perfectionem illis comunicandam. II. quia Adamus transgredivendo mandatum Dei, non tantum fuit causa, ut posteri sine peccato privati sint justitiā originali, sed & transfudit in ip-

36 Cap. I. Quæst. IV qualiter & quinam fuissent  
fos peccatum : ergo si adimplevisset præ-  
ceptum , justitiam originalem transfudis-  
set, quæ opponitur privationi , & gratiam  
communicâisset , quæ opponitur potissi-  
mum peccato. *Prob.* etiam 2. pars. quia  
plures etiam post lapsum Deus confirma-  
vit in gratia , ut constat de Apostolis , & alijs  
eximijs Sanc̄tis : ergo multò magis confir-  
mâisset Adæ posteros , si justitiam servâ-  
sent.

Resp. II. Adæ posteri non fuissent  
confirmati in gratia ab initio suæ nativita-  
tis , sed post superatam primam tentatio-  
nem. Ita Scotus 2. dist. 20. q. 1. *Prob.* 1.  
pars. quia filij non deberent nasci melioris  
conditionis , quam Adam , nisi quatenus  
Adam hoc ipsi mereretur , sic ut nunc na-  
scuntur pejoris conditionis , quia ipse pec-  
cato suo meritus est , ut sic nascerentur ;  
sed Adam non meritus fuisset illis hoc be-  
neficium , etiamsi ipse non peccâisset ;  
quia non constat ullâ ratione aut Autho-  
ritate , quod habuerit meritum respectu  
doni confirmationis conferendi suis po-  
steris : ergo &c. *Prob.* 2.pars.1. quia primi  
paren-

parentes, si primò tentati non peccasset, fuissent confirmati in gratia: ergo videtur idem dicendum de posteris. II. Alias posteri absque ullo demerito proprio, aut alieno, essent pejoris conditionis quantum ad hoc, quam Adam; sed hoc absque fundamento non est asserendum: ergo &c.

Dices I. contra 1. part. meritum bonum longè efficacius est malo ac peccato, sed peccatum Adæ fuit causa, ut filij ejus peccatores nascerentur: ergo bonum ipsius meritum esset causa, ut nascerentur justi, &c in gratiâ confirmati. II. Adæ posteri ante superatam primam temptationem habuissent idem donum supernaturale ad repugnandum peccato, quod eis fuisset concessum post devictam temptationem: ergo etiam antea fuissent in gratiâ confirmati. R. ad 1. N. C. quia sicut malum Adæ non fuit causa, cur ejus posteri essent confirmati in malo, sed solum, cur nascerentur mali; ita bonum ipsius meritum non deberet esse causa, cur nascerentur confirmati in bono, sed solum cur nascerentur boni. Ad 2. N. A. quia illud do-

num confirmationis non fuisset Divinum beneficium quodcunque, quo caveri posset peccatum, sed fuisset illud auxilium, quod ex naturâ suâ vim infallibilem haberet, voluntatem moraliter removendi à peccato, quamvis physicè, propter innatam suam libertatem, peccare potuisset; hoc autem donum ipsi Adamo non fuit concessum ab initio suæ formationis; consequenter nec concedendum foret ejus posteris.

Resp. III. In statu innocentiae soli electi fuissent nati; & quidem ijdem numero, qui defacto sunt prædestinati. Ita Scotus 2. dist. 20. q. 2. & alij contra Arriagam & Suarez quoad primam, & contra D. Thomam quo ad secundam partem.

Prob. quo ad primam I. status innocentiae includit immortalitatem, & perfectam subjectionem appetitus inferioris ad superiorem, aliisque dona tam naturalia, quam supernaturalia; sed similia dona reprobis non convenient; quia non est ratio, cur Deus reprobis talia dona conferret: ergo nullus reprobis, sed soli electi tunc fuissent nati. II. In statu innocentiae reprobis

bi non fuissent nati, ut gratia Dei, hujusque liberalis donatio in hominibus magis manifestaretur; quia esset liberalior donatio, si omnes nascerentur electi: neque ut magis ostenderetur humani arbitrij libertas, & ab auxilijs gratiarum dependentia; quia potuissent etiam tunc peccare: neque ut justitia Dei distributiva & vindicativa declararetur; quia satis justitia Dei indicaretur in hoc, quod Deus suum preceptum prævaricantibus minitaretur mortem corporis & animæ: ergo &c. *Prob.*  
*etiam quo ad 2. part.* I. quia electio ad gloriam est prior prævisione peccati: ergo solum illi, qui nunc sunt electi, fuissent electi in illo statu, & sic producti. II. quia si alij electi tunc nascerentur, deberent esse electi cum his, & si essent electi cum his, deberent aliquando nasci: ergo solum illi, qui nunc sunt electi, nati fuissent.

Dices contra 2. part. I. nunc plures salvantur de uno sexu, quam de altero, in statu innocentiae autem probabiliter fuissent tot viri, quot mulieres: ergo in statu inno-

49 Cap. II. Quest. I. qualis fuerit occasio

innocentia non fuissent nati , qui nunc sunt prædestinati. II. multi nunc electi nascuntur ex reprobis , & multi etiam sunt electi ex occasione peccatorum quorundam hominum , qui sunt reprobis : ergo non fuissent nati illi electi , vel cum illis aliqui reprobis nati fuissent. R. ad 1. antecedens incertum esse : dein potuissent aliqui , qui nunc sunt viri , tunc fuisse fœminæ , aut econtra ; ista enim sexuum differentia subsequitur electionem ad gloriam , estque omnino accidentalis. Ad .2 N. C. quia tales electi nati fuissent , Deo sic disponente , ex alijs electis , non reprobis ; nam causa identitatis numeralis effectus non est identitas agentis , & causæ secundæ efficientis , sed identitas materiæ & formæ simul , quæ sunt causæ intrinsecæ compositionis : similiter alij electi fuissent , non occasione peccatorum , sed alio modo , quo Deus usus fuisset ad illorum salutem.

*CAPUT II.*

**DE STATU NATURÆ  
LAPSÆ.**

**H**omo, cùm in honore esset, gloriâ namque & honore à Deo coronatus, & constitutus super opera manuum suarum, non intellexit Ps. 48. sed mutavit istam gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fænum Ps. 105. dum scilicet de fructu vetito comedit, & Dei mandatum violavit. De hoc in præsenti statu luctuoso & funesto, non uni, sed cunctis hominibus calamitoso & exitioso differemus, & pauca quædam edicemus.

*QUÆSTIO I.*

*Qualis fuerit occasio & causa peccati primorum Parentum?*

**P**er occasionem peccati primorum Parentum, nihil aliud intelligimus, quam præceptum Divinum; per causam peccati verò intelligimus suggestionem, seu tentationem, de quibus sequentia indagantur. I. quale Deus imposuerit præceptum primis Parentibus, & quantum obligaverit?

II. An

42 Cap. II. Quest. I. qualis fuerit occasio & causa

II. An præceptum eis impositum solum prohibuerit eum de fructu arboris, vel etiam visum & tactum ejus? III. An transgressio talis præcepti ex levitate materie potuisset esse peccatum veniale? IV. An præceptum hoc fuerit tantum personale respectu Adami, vel etiam impositum Eve, ac eorum posteris? V. Quo instrumento dæmon usus fuerit ad tentandum? Et VI. An dæmon ad tentandum se corpori serpencis infuderit?

Resp. I. Deus imposuit primo homini præceptum de non comedendo fructum arboris scientia boni & mali, obligatorium sub mortali. Ita communis SS. PP. & TT.  
*Prob. 1. pars ex verbis illis Gen. 2. tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradyso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum, præcepitque ei dicens: ex omnili ligno paradiſi comedere: de ligno autem scientia boni & mali ne comedas: ergo &c.* Rationes autem, cur Deus legem istam statuerit, possunt varie assignari. I. Ut ostenderet, se habere supremam potestatem, ac dominium non tantum Protoparentum,

sed

Sed totius generis humani sibi totaliter subjecti, esseque omnigenâ potestate, maximè legislativâ præditum. II. Ut Protoparentes cognoscerent, non ex naturali conditione, sed singulari Dei beneficio paradisi incolatū felicissimū, aliāque beneficia corporalia & spiritualia ab aliqua causa superiori, scilicet Deo, sibi esse clargita. III. Ut Deus Protoparentum obedientiam probaret, atque deinde præmiaret confirmatione gratiæ sanctificantis & justitiæ originalis &c. *Prob. etiam 2. pars de obligatione sub mortali* I. ex illis verbis comminatorijs Gen. 2. in quocunque enim die comedeleris ex eo, morte morieris, & quidem mortem animæ statim incurriendo, mortem vero corporis suo tempore subeundo: ergo signum manifestum est, hoc præceptum obligasse sub mortali. II. Quia si consideramus materiam, prout substabat Divino præcepto & voluntati, cuius ratione abstinentia illa imposita fuit, veluti sub ratione specialis tributi in signum subjectionis & obedientiæ, materia hæc fuit gravissima, & sufficientissima ad obligationem præcepti sub mortali: ergo &c.

Resp. II.

Resp. II. Hoc præceptum propriè solum esum de fructu arboris scientiæ boni & mali prohibebat, non item visum & tactum. Ita communis. *Prob. ex verbis S. Scripturæ, de ligno scientia boni & mali nec comedas,* ubi solum fit mentio de comestione, non autē de visu & tactu: ergo scilicet comestionem, non item visum & tactū propriè prohibebat. An autē masticatio cibi sine trahctione, & intentione deglutiendi, ex verbī, *ne comedas,* fuerit prohibita, dubitari potest: probabilius tamen videtur, fuisse talē actionem peccaminosam, suppositā tali prohibitione; nam licet sola masticatio cibi non fuerit comestio, nec semper sit ad illam necessaria, nihilominus quando sit, est quædam inchoatio manducationis, & ideo aliquale saltem fuisse peccatum, non tamen consummatum & perfectum.

Dices: Eva respondens serpenti dixit: *præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud* Gen. 3. ergo non sola comestio, sed etiam tactus fuit prohibitus. R. N. C. nam verbum illud, *ne tangeremus,* per exaggerationem additum est, ut ab Adam

Adamo, quando præceptum Dei Evæ declaravit, ut eam cautiorem ad servandum Dei præceptum redderet, vel potius additum est ab ipsam Eva, ad rigorem præcepti exaggerandū: igitur tactus vel aspectus cibi prohibiti de se non erat peccatum mortale, immo si bona siebat intentione, nullum erat peccatum, quia hoc non fuit prohibitum, nec per se malum, sed indiferens.

Resp. III. Transgressio hujus præcepti ex levitate materiae non poterat esse peccatum veniale, sed semper mortale, dummodo actus prohibitus esset completus sub ratione comestionis. Ita Herincx Disp. 6. q. 12. n 95. Sanchez & alij. Prob. Lex Gen. 3. ubi dicitur: *Talit de fructu illius & comedit, deditque viro suo, qui comedit, ex quibus colligitur, comestionem Adæ in materia sapientia parva fuisse, & quamcumque comestionem ad gravem transgressionem suffecisse: ergo &c.* II. Ratio præcipua, quare prohibito illa fuerit facta, erat, ut Adamus esset obediens Deo, & cognosceret propriam subjectionem, & Deum ut supremum

46 Cap. II. Quæst. I. qualis fuerit occasio & causa  
mūm Legislatorem, sed hæc ratio in qua-  
cunque materiâ, quantumcunque parvâ,  
integra inveniebatur, & ideo comæstio sub  
illo respectu gravem semper injuriam con-  
tra Divinam obedientiam, ciùsque reco-  
gnitionem continebat: ergo &c.

Resp. IV. Præceptum illud non erat  
impositum soli Adæ, sed etiam Evæ, imò  
easquam perpetuum omnibus posteris in  
statu innocentia, si perseverasset, nasci-  
turis. Ita Herincx cit. & alij communi-  
ter. Prob. 1. pars ex confessione ipsiusmet  
Evæ, quæ Gen. 3. ad serpentem dicebat:  
*de fructu verò ligni, quod est in medio para-  
disi, præcepit nobis Deus, ne comederemus:*  
ergo illud præceptum non tantum Adæ,  
sed etiam Evæ erat impositum: an autem  
utriusque immediatè, vel Evæ immediatè solum  
fuerit injunctum, duplex est aliaſ Authorum  
sententia. Prob. etiam 2. pars I. ex illo  
Gen. 2. ubi Deus simul dixit Adæ: *ex om-  
ni ligno paradisi comedere; de ligno autem scien-  
tia boni & malorum comedas;* sed priora ver-  
ba indicabant perpetuitatem, adeò, ut po-  
steri Adæ possent, vel, ut alij volunt, de-  
berent,

berent, illo uti: ergo & posteriora, ad eò, ut omnes Adæ posteros concernerent; nam eodem modo & tenore erant pronuntiata. Il. Protestatio Divinæ subjectionis & obedientiæ, cuius intuitu præceptum erat injunctionum, erat perpetua, & non minus filijs conveniebat, quam Parentibus: ergo & ipsum præceptum erat perpetuum, & omnes etiam posteros, in statu innocentia nascituros, obligabat.

Dices: Gen. 2. Solius Adæ, cui datum fuit præceptum, mentionem fecit Moyses: ergo comprehendebat solum Adamum, R. N. C. nam quod solius Adæ ibidem mentio sit facta, ratio est, quia hoc præceptum soli Adamo principaliter datum fuerat, utpote dum ex ejus transgressione præcepti pendebat jactura acceptæ felicitatis tam pro ipso Adamo, quam pro eius posteris.

Resp. V. Dæmon ad tentandum usus est tanquam instrumento vero, & reali serpente. Ita TT. communiter contra Originé & Cajetanum. Prob. I. ex historia Genesis, quæ serpantis meminit, cùm-

48 Cap. II. Quæst. I. qualis fuerit occasio & causa  
que censet inter animantia terræ , cunctis  
callidiorum , postea maledictum de gressu  
super pectus , comeditione terræ , & inimi-  
citiis adversus hominē ; atqui non est ra-  
tio , nec authoritas , cur ista non intelligan-  
tur in sensu vero , & proprio : ergo &c. II.  
Serpens ille comparatur ad cætera animan-  
tia , quibus dicitur callidior : ergo indica-  
tur , sermonem esse de serpente sensibili ;  
non enim congrua fieret comparatio inter  
dæmonem visibilem , & bruta animalia vi-  
sibia. Congruentiam autem , cur dæ-  
mon ad tentandum usus sit instrumento  
serpentis , assignat Doctor Seraphicus 2. dist.  
20. A. I. q. 2. dicens : quia enim tentatio fie-  
bat & suggestionis ingressus , quæ intrat ad cor  
ad modum serpentis , & ibi virus peccati dif-  
fundit , ex quo homo habet spiritualiter moris  
ideo ut exterior effigies operi responderet inte-  
riori , congruum fuit hominem à diabolo ten-  
tari in effigie serpentis , cuius est serpere , &  
venenum diffundere , & diffundendo hominem  
interimere .

Dices I. In S. Scriptura diabolus ipse fine  
corpore assumpto draco & serpens appel-  
latus

latur Apocal. I 2. Isa. 27. ergo etiam serpens tentans fuit diabolus sine corpore serpentis assumpto. II. Serpens visibilis nō est callidior cunctis animantibus terræ : ergo de dæmonē id intelligendum est. R. ad 1. N.C. nam licet in alijs Scripturæ locis diabolus vocetur draco & serpens, etiam independenter à corpore assumpto, non tamē sequitur, debere etiam Gen. 3. hoc modo accipi; nam ex narratione historica oppositum hīc colligitur. Ad 2. N.A. nam etiamsi comparatio illa convenire possit ipsi dæmoni non solum comparatione brutorum animalium, sed etiam respectu hominum, nihilominus respectu animantium brutorum eadem comparatio per proprietatem sumpta vera est de ipso animali ac serpente ; nam propter calliditatem illius animalis dixit Christus Math. 10. estote prudentes sicut serpentes.

Resp. VI. Diabolus ad tentandum corpori serpentis se infudit, & ad decipiendam Ewam, os & linguam serpentis in otdine ad edendas voces quasi humanas movit. Ita Theologi communiter. Prob. 1. Ex S. Aug.

qui lib. II. de Gen. ad litt. c. 27. ait: *diabolus in serpente ipse locutus est, utenseō ve-  
lut organō, movēnsque ejus naturam eō mo-  
dō, quo verē ille movere illa potuit ad expri-  
mendos verborum sonos, & signa corporalia,  
per quā mulier suadentis intelligeret volun-  
tatem: ergo &c.* II. Diabolus taliter se in-  
fundendo poterat aptius suos actus, soli-  
citationem, motus blanditiarum &c. to-  
tāmque temptationem perficere : ergo &c.  
Quòd autem dæmon Protoparentes tenta-  
verit, duobus maximè fuit ductus motivis,  
*superbiā* scilicet , ut regnaret super om-  
nem creaturam, & primos Parentes sub  
suam redigeret potestatem , & *invidiā*, quā  
varia beneficia Adæ à Deo concessa invi-  
debat eidem. Et quidem tentavit primō  
mulierem , ut eā expugnatā faciliūs im-  
pugnaret & expugnaret Adamum.

Dices : si Eva, viso serpente , cum lo-  
quentem audivisset, valde horruisset , &  
turbata aliò fugisset : ergo &c. R. N.A.  
nam , ut plures cēsent , Eva non horruīt,  
nec fugīt aliò , quia tunc omnia animalia  
erant homīni subiecta , nīque mali pote-  
rant

Protoparentū peccatum. & in quo peccatum orig. Sc. 52.  
tant illi inferre: & S. Damasc. lib. 2. c. 10.  
ait: serpens familiaris homini erat, ut qui  
præ ceteris animantibus ad eum accederet,  
blandisque motibus cum eo veluti colloque-  
retur. & ex quo factum est, ut omnis mali  
author diabolus operâ ipsius uteretur.

## QUESTIO. II.

Quale fuerit primum Protoparentum  
peccatum, & in quo peccatum originale  
consistat?

**Q**UOD Eva suggestioni serpentis con-  
senserit, & non tantum ipsa,  
sed & Adamus legem Divinam eden-  
do de fructu vetito prævaricatus fuerit,  
satis patet ex illis Scripturæ verbis Gen. 3.  
vidit igitur mulier, quod bonum esset  
lignum ad vescendum, & pulchrum oculis,  
aspectuque delectabile, & tulit de fructu il-  
lius, & comedit, deditque viro suo, qui com-  
dit. Quod insuper Adamus non tantum  
sibi, sed & posteris exinde nocuerit, seu  
quod detur peccatum originale, plura in-  
nuunt S. Scripturæ loca, v. g. quando di-  
citur: per unum hominem peccatum in hanc  
mundum intravit, & per peccatum mors, &

ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, ad Rom. 5. unde illæ lacrymæ: *in iniuriatibus conceptus sum,* & *in peccatis concepit me mater mea,* Ps. 50. Quæritur itaque solùm, quodnam fuerit primum & radicale Protoparentum peccatum, & in quo peccatum originale consistat: prout ipse titulus quæstionis præfert.

Resp. I. Primum & radicale peccatum mortale Evæ fuit inordinatus sui ipsius amor, ex quo germinavit superbia, sive inordinatus appetitus Divinæ excellentiæ, saltem quo ad quandam similitudinem. Ita colligitur ex Scoto 2. dist. 24. q. 2. n. 2. tenentque Scotistæ passim. Prob. I. Ex S. Aug. qui lib. II. de Gen. ad litt. c 30. ait: *neque enim verbis serpens crederet mulier, nisi jam inesset menti amor ille proprie potestatis,* idem docet alibi: ergo &c. II. Quia primum & radicale peccatum Evæ non fuit superbia, seu præsumptio: ergo dicendum, quod fuerit inordinatus sui ipsius amor. P. A. quia superbia seu præsumptio est amor concupiscentiæ, quem præcedit inor-

*protoparentū peccatū, & in quo peccatū orig.* Sc. 53

inordinata complacentia in suis perfectiōnibus; ideo enim quis alijs præesse desiderat, quia se digniorem & præcellentem existimat: ergo &c. III. Illud est censendum primum Evæ peccatum, quod est propinquius naturæ, & quod in ea quasi radicem habet; sed nil est propinquius, quam se amare: ergo &c.

Dices: Eccli. 10. dicitur: *initium superbiae hominis, apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus:* & rursus: *initium omnis peccati est superbia:* ergo superbia & non inordinatus sui ipsius amor, est initium & primum Evæ peccatum. R. N. C. quia quando superbia dicitur initium omnis peccati, hoc est intelligendum genericè & interpretativè, ac de superbia radicali; non verò specificè & explicitè, ac de superbia formalí. Vel potest superbia primum peccatum omnium ceterorum dici, primitate cognitionis, non verò primitate originis & in se; sic enim originatur in inordinato amore sui ipsius.

Resp. II. Primum & radicale peccatum mortale Adami fuit inordinatus amor

D s

ami-

54 Cap. II. Quæst. II. quale fuerit primum  
amicitiæ uxoris Evæ. Ita Scotus l. c.  
contra Thomist. passim & multos RR.  
Prob. I. Ex S. Script. Gen. 3. ubi primò Adæ  
exprobratur, quia audisti vocem uxoris tue:  
ergo signum est, quod primum Adæ pec-  
catum fuerit amor uxoris Evæ. II. Ex S.  
Aug. lib. 14. de Civit. c. 11. dicente : cre-  
dendum est, illum virum sua famina &c.  
non tanquam verum loquenti credidisse sedu-  
ctum, sed sociali necessitudine paruisse: er-  
go &c. III. Quia potuit Adam inordina-  
to amore suam uxorem prosequi, prius-  
quam se, & quantum colligi potest ex Scri-  
ptura, de facto prius inordinate amavit u-  
xorem, quam se ipsum ; nam juxta Scri-  
pturam Adamus Divinum mandatum non  
fuit transgressor, antequam Eva ipsum ad  
eum fructus vetiti alliceret, nec verisimi-  
le est, quod alias tantum nefas admitte-  
ret: ergo dicendum est, quod primum ip-  
sius peccatum fuerit inordinatus amor  
uxoris.

Dices: S. Aug. alijs in locis sæpius affir-  
mat, Adatum superbiendo peccasse, ap-  
petendo videlicet æqualitatem Dei ; sic in  
Pſ. 68.

*Protopartitū peccatū. S in quo peccatum ēc. 31*

*Psl. 68.* ait , *primos Parentes rapere voluisse  
Divinitatem, & perdidisse felicitatem:* ergo  
*secundūm hunc S. Patrem , licet Adam  
peccat̄ inordinato amore uxor̄is , tamen  
hic non fuit primum ejus peccatum , sed  
superbia. R. N.C. nam ex allato S. Aug.  
textu solūm colligitur, quod Adamus com-  
mis̄erit peccatum superbiæ , quamvis illud  
peccatum non fuerit primum , sed amor  
inordinatus , quo admisso superbire potuit,  
appetendo similitudinem Dei , ad quam  
appetendā vix antea persuaderi potuisset.*

*Resp. III.* Peccatum originale consi-  
stit in dupli privatione , nempe justitiæ  
originalis , & gratiæ sanctificantis debitæ ,  
prout tamen hæ privationes connotant  
peccatum actuale Adami, ex quo oriuntur.  
Ita Scotus 2. dist. 32. q. un. & alij commu-  
nius , licet in modo explicandi non omnes  
conveniant. *Prob. I. Ex Concil. Trid. Sess. 5.*  
in Decreto de peccato originali dicente ,  
*primum hominem Adam , cùm mandatum Dei  
in paradiſo fuisset transgressus , statim san-  
ctitatem , & justitiam , in qua constitutus fu-  
rat , amis̄isse :* ex quibus verbis colligitur ,  
quod Adamus utrumque donum à Deo pro-

se & suis posteris acceptum , sibi & nobis perdidit , atque ita utriusque privatio ad nos transiverit , & in nobis constituat originale peccatum : ergo &c. II. Quia peccatum originale consistit in eo , per quod illud ita perseverat in posteris , ut horum quilibet nascatur filius iræ , quemadmodū loquitur Apostolus ad Ephes. c. 2. sed hoc sit per privationem gratiæ sanctificantis , & justitiæ originalis ob necessariam aliquam in eo statu cum gratia connexionem : ergo &c. Quia verò omne peccatum debet esse aliquo modo voluntarium , & originale nequeat esse voluntarium voluntate parvorum , voluntariū dici debet per ordinem ad voluntatem Adæ , in qua omnes voluntates posteriorum tanquam in primo Capite nedium physico , sed etiam morali fuerunt inclusæ ; adeoque privationes præfatae connotare debent actuale Adæ peccatum , verè voluntarium .

*Prob.* III. Refutando breviter alias sententias : quia originale peccatum non consistit in aliqua substantia ; alias enim in resurrectione non resurgereimus in eadem spe-

*Protoparentis peccatum, & in quo peccatum.* Sc. 57  
specie naturâ, in qua nati sumus, nec Christus assumpsisset eandem specie naturam nobiscum: nec consistit in concupiscentia; nam concupiscentia est effectus & poena peccati originalis: nec in aliqua morbida qualitate ad animam, ex carne infectâ, transfusâ; quia Author talis qualitatis esset Deus, qui tamen nequit esse Author peccati: nec in aliquo reatu, sicut peccatum habitualiter personale; quia non est eadem ratio de peccato habituali, & originali; nam si peccatum habitualiter consistet in privatione gratiarum, nullum peccatum distingueretur ab alio specie, quæ ratio non urget de peccato originali: nec in peccato Adæ in nobis moraliter manente; nam peccatum Adæ est causa peccati originalis in nobis: nec datum in privatione solius gratiae sanctificantis, vel solius iustitiae originalis; nam Adam peccando non minus se privavit & posteros gratiam, quam iustitiam originali, hancque non minus servare tenebatur, quam illam, præsertim quia in statu innocentiarum aliquam necessariam habebant connexiōnem: ergo manet, quod consistat in dupli-

ci privatione, nempe justitiae originalis, & gratiae sanctificantis.

Dices I. Homo in puris naturalibus haberet hujusmodi carentiam, & tamen originale peccatum non haberet: ergo peccatum originale in tali privatione non consistit. II. Talis privatio intenditur, immo infligitur à Deo, qui non intendit peccatum, nec est Author peccati: ergo &c. III. Privatio justitiae originalis manet in baptizatis; quia per baptismum non recipimus justitiam originalem: ergo in ista privatione non consistit peccatum originale, vel illud manebit post baptismum, contra Trid: IV. Carentia justitiae originalis non fuit in Adam formaliter culpa, sed tantum poena: ergo & in nobis. V. Ab unius hominis inobedientia denominamur peccatores; nam, ut ait Apostolus, *per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi ad Rom 5.* sed ista inobedientia est ipsum Adæ peccatum: ergo à peccato Adæ denominamur peccatores; & consequenter peccatum originale est ipsum Adæ peccatum denominans nos formaliter peccatores.

*Protoparentū peccatū, & in quo peccatū orig. Sc. 59*  
tores. VI. Illud est peccatum originale  
per quod mors intravit in hunc mundum;  
sed per peccatum Adæ mors in hunc mun-  
dum intravit; ergo &c.

R. ad 1. N.C. quia homo in puris na-  
turalibus constitutus haberet meram ne-  
gationem horum donorum ,quatenus non  
essent sibi debitæ ; cùm non essent accep-  
ptæ , nec in se , nec in alio ; & sic et si habe-  
ret carentiam eorum , non tamen haberet  
privationem , consequenter nec peccatum  
originale : contrarium autem contingit in  
nobis , qui utrumque donum in Adam ac-  
cepimus , & amissimus . Ad 2. D. A. ta-  
lis privatio infligitur à Deo , si considera-  
tur physicè , seu quatenus Deus posteris  
Adæ illa dona non confert C. si spectetur  
moraliter , seu quatenus est à voluntate  
creata demeritoriè N. Ad 3. D. iterum  
A. privatio justitiæ originalis debitæ inesse  
manet in baptizatis N. simpliciter Trans.  
illa autem est peccatum originale , non vero  
hæc , nempe retributio actualis . Ad 4.  
D. pariter A. non fuit in Adam formaliter  
culpa actualis C, habitualis ex actuali re-  
licta

sicta N. adeoque talis carentia potest etiam dici pœna culpæ actualis, & quatenus passivè in voluntate recipitur ; non tamen est pœna culpæ habitualis , & quatenus à voluntate vel peccato actuali activè procedit ; sic enim dicenda est culpa habitualis, vel originalis. *Ad 5.* D. maj. denominamur peccatores causaliter C. formaliter N. maj. & sub data distinctione consequentiam. *Ad 6.* D. etiam maj. est peccatum originale, id est, omnium aliorum peccatorum fons & origo, per quod mors intravit C. illud est originale peccatum , quod est cuilibet homini proprium descendenti ab Adamo N. maj. & sub data distinctione consequentiam.

### QUÆSTIO III.

*Quomodo peccatum originale in posteros transfundatur?*

**S**equentia sunt hîc examinanda : I. An peccatum originale transfundatur ab Adamo , vel Eva , vel utroque ? II. An , si Adamus admisisset aliud peccatum mortale , quam illam inobedientiam , perdidisse

originale in posteris transfundatur? 61

disset statum innocentiae? III. quomodo vel per quid fiat transfusio originalis peccati in posteros? & IV. Demum, an, si filij aliqui fuissent geniti ab Adamo innocentem, & postea primum peccante, peccatum originale contraxissent?

Resp. I. Peccatum originale transfunditur in posteros ab Adamo, non Eva; adeoque si sola Eva peccasset esu fructus vetiti, solùm sibi amisisset statum innocentiae; contrarium autem dicendum, si solius Adamus peccasset esu fructus vetiti. Ita cum D. Thoma alij communiter contra paucos. Prob. I. Ex S. Scriptura, quæ solius peccati Adæ meminit, v. g. ad Rom 5. *per unum hominem peccatum in hanc manus intravit, & per peccatum mors &c.* Per inobedientiam unius hominis &c. scilicet Adami, uti indicat contextus, & se ipsum explicat Apostolus 1. ad Corinth. 15. *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur ergo &c.* II. Ex Concil. Trid. quod similiter solius Adæ mentionem facit; dum sois. 5. can: 2. anathematizat illum, qui *Adæ prævaricationem*

E

sibi

60. Cap. II. Quest. III. quomodo peccatum

sibi soli , & non ejus propagini , afferit nocuisse : codem modo loquuntur SS.PP: ergo &c. III. Quia licet Eva peccaverit ante Adamum , tamen de Eva non dicitur , quod per illam peccatum intraverit , quod in ea omnes peccaverint , & moriantur , nec fuit propriè loquendo Caput morale totius generis humani : ergo signum est , quod peccatum originale , non ab Eva derivetur in posteros , sed ab Adamo : & quidem etsi solus peccasset ; quia omnes homines ex Divino pacto suas voluntates in Caput Adamum transfuderant.

Dices Eccli. q. 5. dicitur : à muliere ini-  
tium factum est peccati , & per illam omnes  
morimur : ergo peccatum originale trans-  
funditur in posteros ab Eva , vel saltem non  
à solo Adamo , sed utroque simul. R. N.C  
nam etsi non in illa , tamen per illam , uti  
per diabolum , omnes morimur ; quia pri-  
us peccando fuit Adæ occasio , & irrita-  
mentum peccati ; idque allegatur l.c. ad  
ostendendum , quām sit viro prudenti ca-  
vendum à mulieribus.

Resp. II. Si. Adamus admisisset aliud

pco.

peccatum mortale, quām illām inobedientiam ( prout absolute potuisset ) non perdidisset posteris ( licet sibi ) statum innocentiae. Ita Herincx h̄ic Disp. 6. q. 3. n. 25. & alij communiter. - *Prob.* I. quia Adamus in ordine de non comedendo fructu verito solūm erat constitutus nostrum Caput morale ex illo Gen. 2. in quocunque enim die comederis ex ea morte morieris: ergo alio peccato non perdidisset nobis statum innocentiae. II. Tam grāve posterorum onus non debet affeti sine urgentissimo fundamento; sed tale non habetur; cūm nec ex ratione, nec authoritate id constet: ergo &c. Dixi, licet sibi; quia gratia sanctificans, & justitia originalis constituebant ibidem veram sanctitatem & vitam spiritualem, reddebatque potissimum hominem rectum, sed vera sanctitas, vita spiritualis, ac rectitudo amittitur per quodvis peccatum grave: ergo per quodvis peccatum grave amississet sibi Adamus gratiam sanctificantem & justitiam originalem, a quoque statum innocentiae: an autem te-

E 2 cupe-

cuperabiliter vel irrecuperabiliter , dūbi-  
um est.

Resp. III. Transfusio originalis pec-  
cati sit per seminalem propagationem , viā  
communi generationis , ita quod ordinari-  
è quælibet anima ipso instanti conceptio-  
nis, seu quo unitur corpori in utero mater-  
no , contrahat peccatum originale . Ita  
Scotus 2. dist. 32. q. un. n. 12. S. Thomas,  
& alij communiter . Prob. I. Ex Concil.  
Trid. quod sess. 6. cap. 3. sic ait : *sicut reue-  
ra homines, nisi ex semine Ada propagati na-  
scerentur, non nascerentur inusti, cùm ea  
propagatione, per ipsum dum concipiuntur,  
propriam inustiam contrahant: ergo &c.*  
II. Ex S. Ambr. qui in Isa. scribit dicens :  
*servatum est igitur, ut ex viro & muliere,*  
*id est, per illam corporum commixtionem ne-  
mo videatur esse expers delicti: idem habet*  
S. Aug. ergo &c. III. Ex institutione Bap-  
tismi parvorum , quos idcirco esse bapti-  
zandos, Catholica semper tenuit Ecclesia ,  
ut in eis regeneratione mundetur , quod  
generatione contraxerunt: ergo &c. IV.  
Quia idco Adx posteri peccatum origina-

Ie contrahunt, quia in eo peccaverunt, tanquam in totius humanitatis Capite; sed non alia ratione censentur in Adam peccasse, quam quia naturali viâ generationis communis ab eo propagantur: ergo peccatum originale transfunditur per ipsam naturalem generationem: unde ab originali reditè eximitur Christus; quia nimis per propagationem feminalem viri & fœminæ non fuit generatus: similiter si quis miraculosè crearetur, vel formaretur aut ex costa, aut ex alia parte corporis unius ex Adami postegis, peccatum originale non contraheret. Dixi superiùs, ordinariè quilibet anima, ad excipiendam B. V. Mariam, quæ non tantum fuit sine labore concepta, sed juxta Doctorem subtilem 3. dist. 3. q. 1. etiam à debito peccati originalis libera.

Dices I. Plures SS. PP. docent, peccatum originale transfundi ad Adæ posteros ratione concupiscentiarum & libidinis Parentum in ipso usu conjugij, non secus, ac subinde podagra, aliisque Parentum vitium affectuum, tum corporum, transfun-

66 Cap. II. Quesit. IV. qualis sit pena corporaliorum  
datur in liberos: ergo &c. II. Si peccatum  
originale transfunditur in posteros  
via communis generationis, malum erit  
conjugium; quia esset causa peccati alieni;  
sed hoc dici nequit: ergo &c. R. ad I. N. A.  
& dico, SS. PP. solùm velle, quod com-  
mixtio carnalis (quæ sine motu concipi-  
fentia non sit) sit conditio sine qua parvu-  
li non contraherent peccatum originale;  
quia scilicet alioquin non descenderent ab  
Adamo naturali via generationis. Ad 2.  
N. mag. rationem additam D. esset causa  
peccati alieni per accidens C. per se N. nam  
accidit naturæ, quæ per conjugium propa-  
gatur, quod in Adamo sit corrupta, cuius  
corruptionis causa est Adami prævaricatio,  
non autem viri & feminæ conjunctio: &  
ex alia parte est posteris longè exoptabilis  
us, concipiendum peccato originali, quam  
omnino non esse.

Resp. IV. Si filij aliqui fuissent geniti  
ab Adamo innocentie, & postea primum  
peccante, originale peccatum non con-  
traxissent. Ita Herinçx hic Disp. 6. q. 13.  
u. 2. & alijs communiter. Prob. I. Ex. S.

'Aug. qui in Ps. 84. ait: *ea peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes jam natis filijs: ergo &c.* II. Quia tales filij, quando fuissent concepti, accepissent justitiam originalem; sed hæc semel accepta non annihilatur, nisi ex propriâ culpâ; nam videtur incongruum, quod justitiam sibi infusa: n quis perdat absque culpâ propriâ: ergo &c. An autem idem esset sentendum de filiis horum filiorum, duplex est Authorum sententia, alijs negantibus, & dicentibus, quod lex fuerit lata in ordine ad omnes posteros Adami; quomodo cunque se habeant parentes intermedij; alijs autem affirmantibus; quia tales filij non amplius fuissent virtualiter contenti in lumbis Adæ tempore peccati, cum Parentes jam tunc fuissent extra Adamum.

#### QUESTIO IV.

*Qualis fit pœna parvolorum dece-  
suum cum solo peccato originali?*

Propter prævaricationem Adæ, Deus justissimus Vindex multipliæ homi-

68 Cap. II. Quæst. IV. qualis fit pena parvolorum  
ni infixit poenas, ex quibus resultat co-  
tius naturæ corruptio: specialiter autem  
punivit Eam, cjuisque fæminas pósteras,  
ærumnarum multiplicatione in multitu-  
dine conceptuum, dolore in partu, & sub-  
jectione ad viti potestatem: similiter puni-  
vit Adamum, cùsque posteritatem viri-  
lem, maledictione terræ in ipsius labori-  
bus, spinarum & tribulorum germinatio-  
ne in ea, & victus parcitate, labore atque  
sudore: non quòd omnes homines  
multum laborarent ad obtinendum panem  
& vestitum, sed quòd illi, qui ad hoc la-  
borarent, laborarent sic in poenam: sicut  
non omnes mulieres parituz sunt cum do-  
lore, sed quòd dolorem paterentur illæ,  
quæ paterentur, in poenam peccati &c.  
deum punivit Deus etiam serpentem, ut  
ostenderet, quantū hoc scelus hominis de-  
testetur; punivit autem specialiter in hoc,  
quòd deinceps supra peccatum gradieretur,  
ut quod illi antea erat conditio naturæ,  
fuerit illi postmodum punitio, propterea  
quòd diabolus eo usus fuerat ad instigan-  
dam Eam, ut peccaret &c. His autem  
&

& alijs pluribus poenis prætermissis, in præsenti solùm examinatur, quas poenas post mortem sustinere debeant decedentes cum solo peccato originali.

Resp. I. Parvuli decedentes cum solo peccato originali non patientur poenam sensus, seu tormentorum ignis. Ita Secundus 2. Dist. 33. q. un. S. Bonav. & alij paucis exceptis. Prob. I. ex Script: S. Apocal. 18. quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantū date illi tormentum & luctum; sed tales non fucrunt in ullis deliciis: ergo &c. II. Ex c. Majores. de Baptismo, & ejus effectu. Ibi: pœna originalis peccati, est carcisia visionis Dei; actualis verâ pœna peccati, est ( subintellige insuper ) gehenna perpetua cruciatus: ergo &c. III. quia si in humanis daretur alicui dignitas pro tota posteritate, is peccato suo mereretur quidem illâ privari, & per consequens in eodem posteri, solus tamen Pater propter crimen illud judicaretur dignus supplicijs & tormentis: ergo idem dicendum de Adamo, quod ipse solus fuisset torqueadus & cruciandus ab igne, nisi ei facta fuisset remis.

93 Cap. II. Quæst. IV. qualis sit pena parvolorum  
remissio .IV. Pœna sensus non convenit,  
nisi illi, qui propter delictum est reprehensione dignus; quia pœna sensus est quædam  
exprobratio & vituperatio : sed tales de-  
cedentes cum solo originali non sunt re-  
prehensione digni: ergo &c. P. min. quia  
non fuit in potestate taliū impedire pecca-  
tum Adami, aut ne ipsi includerentur in  
eiusdem voluntate seu pacto, aut ne ab eō  
descenderent: ergo nec sunt digni re-  
prehensione; nam, ut ait S. Aug. lib. de  
duabus animabus. c. 11. *qui non fecit, quod  
non poterat, non est reprehensione ullâ dig-  
nus.*

Dices I. Omnes judicandi stabunt vel  
à dextris Judicis, adeoque salvandi , vel  
à sinistris , adeoque in ignem æternum  
mittendi, ut colligitur Math. 25. sed ta-  
les decadentes cum solo originali non sta-  
bunt à dextris : ergo &c. II. Tales non ha-  
bent vestem nuptialem : ergo mittere-  
tur in tenebras exteriores , ubi erit fletus  
& stridor dentium Math. 22. III. S. Aug.  
serm. 14. de verbis Apostoli c. 3. expressè  
docet , parvulos sine baptismo decadentes ,

decedentes cum solo peccato originali? 21  
in ignem æternum ituros: ergo &c. IV.  
Qui migrat è vivis cum originali peccato,  
graviorem subire debet pœnam, quam qui  
in statu naturæ puræ creatus in eodem obi-  
ret; sed hic incurrit pœnam damni: ergo  
ille aliam insuper debet sustinere, nempe  
tormentum ignis. V. Veniale peccatum  
est levius originali, & tamen punitur in  
alterâ vitâ pœnâ sensus: ergo multò magis  
originale. VI. Parvuli in hac vita ob pec-  
catum originale puniuntur pœnâ sensus,  
v.g. frigore, fame &c. ergo &c in alterâ.

R. ad 1. & 2. in his & similibus locis  
solum esse sermonem de adultis judicandis  
ex operibus, de quibus Christus dixit, esu-  
rixi, & non dedistis mihi manducare; dein  
parvuli decedentes cum originali licet sine  
dijudicandi secundum ea, quæ circa illos  
ab aliis sunt facta vel omessa; judicio tamen  
discussivo propriè non subiectiuntur, sed po-  
tius approbativo; siquidem tunc ab omni-  
bus approbabitur, tam Angelis, quam  
beatissimis hominibus, sententia Christi, qui  
penitentia, jam iudicatus est, Ioa. 3. Ad 2.  
dico, S. Aug. nomine ignis significare  
quam

*73 Cap. II. Quest. IV. qualis sit pena parvulorum*  
quamlibet poenam, adeoque intelligebat  
tantum poenam damni, loquens contra  
eos, qui putabant, tales parvulos nullam  
penam puniri. *Ad 4.* N. min. nam qui  
in statu naturae purae obiret, et si carceret  
visione & fruitione Dei, tamen hoc non  
foret ipsi in poena, sicut esset in poenam re-  
spectu illius, qui peccato originali infectus  
esset, uti inferius dicetur. *Ad 5.* D. A.  
veniale est levius originali, in quantum  
originale privat amicitiam Dei, & poenam  
damni inducit, non autem veniale C. in  
quantum participant de voluntario N. A.  
& C. adeoque veniale est expresso volun-  
tarium, & sensibus obnoxium, quod  
non contingit in originali. *Ad 6.* D.  
etiam A. puniuntur per accidens C. per se  
N. A. & C. nam similia consequuntur ca-  
tentiam originalis iustitiae.

*Resp. II.* Parvuli decedentes cum solo  
peccato originali patientur poenam dam-  
ni, quae consistit in exclusione hominis a  
beatitudine cœlesti, sive visione & fruitio-  
ne Dei. Ita communis. *Prob. I. Ex S. Script.*  
*Joa. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua &*  
*spt.*

Spiritu sancto , non potest introire in regnum Dei: ergo &c. II. ex Concil. Trid. sess. 5. in Decreto de peccato orig. anathematisante eos , qui afflunt , parvulos , nibil ex Adam trahere originalis peccati , quod regenerationis lavacro neesse sit expiari ad vitam eternam consequendam: ergo &c. III. ex S. Fulgentio lib. de fide ad Petrum. c. 2. dicente : parvuli , quibus nulla possunt vel bona vel mala inesse propria merita voluntatis , insolubili nexu eterna damnatione tenentur: ergo &c. IV. Quia tales parvuli carent gratiam habituali ; sed qui carent gratiam habituali carent dignitate , sine qua nulli Deus visionem beatificam communicat: ergo &c.

Resp. III. Parvuli decedentes cum solo peccato originali ob penitentiam damni non habebunt ullam tristitiam. Ita Scotus cit. S. Thomas , & plerique R.R. contra Belarminum & alios. Prob. I. Ex S. Greg. Niss. orat. 1. de infant. dicente : immatura mors infantium , neque in doloribus , ac mestitia esse eum , qui sic vivere desigit , intelligendum esse nobis suggestit: ergo &c. II. quia tristitia est de his , quae nobis invitis accidunt,

74 Cap. II. Quæst. IV. qualis sit pena parvulorum  
dunt, ita, ut velimus oppositum eorum;  
sed tales parvuli non sunt inviti, ut velint  
oppositū dispositionis Divinæ; alias enim  
dicerentur murmurare contra Deum, quod  
non est dicendum: ergo &c. III. Pœna  
decedentium cum solo originali peccato  
videtur adæquate compleri in carentiâ æ-  
ternæ gloriae: ergo non videtur superad-  
denda pœna tristitia, quæ se habet instar  
increpationis & flagelli, quo illi tantum  
digni sunt, qui propriâ voluntate peccâ-  
runt. IV. Talibus parvulis non infligatur  
pœna exterior seu dolor externus: ergo  
nec videtur infligenda pœna interior, seu  
tristitia, utpote longè gravior.

Dices: ex apprehensione privationis  
æternæ felicitatis naturaliter sequatur ali-  
qua tristitia; sed tales parvuli cognoscunt  
talem privationem, saltem post dicti ju-  
dicij: ergo &c. R. D. maj: ex appre-  
hensione tali aliunde non impeditâ C. im-  
peditâ N. maj: & sub data dist. C. adeo-  
que ex providentiâ Divinâ non ita appre-  
hendent carentiam summi boni, sed erunt  
contenti cum statu sub à Deo sibi disposi-

to : neque hoc est dicendum miraculum , sed potius debitum illi statui. Vel dic, tales parvulos non tristari , quia simul vident , se evasisse tormenta inferni , quorum periculo expositi fuissent , si ad ætatem venissent.

Petes: quis sig futurus status talium parvulorum post diem judicij ? R. esse diversas Doctorum opiniones : aliqui verosimilius putant , eos in locis quibusdam subterraneis mansuros , cum nec S. Script. nec SS. PP. ullius alterius mentionem faciant : alij de horum parvulorum statu benignius discurrunt , & putant , illos accepturos sententiam Judicis , sed benignam , & tum in corpore , tum in animâ bonis naturalibus cumulandos , ac inhabitatos locum lucidum , amatum , & pro tanto numero amplissimum : alij aliter sentiunt . Verum hæc omnia sunt valde incerta : adeoque cum omnes parvulos non baptizatos maneat poena damni , & sententia adscribens eis etiam poenam ignis , respectivè quidem levem , verè tamen

grat

96 Cap. II. Quæst. IV. qualis sit pena parvulariis Sc.  
gravem; non sit improbabilis; omni dili-  
ligentiâ baptismus est parvulis procuran-  
dus; ne ex dilatione summum eis dam-  
num obveniat, ut bene monet noster P.  
Herincx.

---

## PARERGA

*Ex quatuor Libris Sententiarum.*

1. Existere Deum non solum de fide con-  
stat, sed etiam à posteriori demon-  
stratur. p. 3.
2. Non item à priori.
3. In Divinis necessaria est distinctio Scott  
media, seu ex naturâ rei formalis.
4. Per absolute Dei potentiam potest vi-  
deri Essentia Divina sine Personis & At-  
tributis.
5. Mysterium SS. Trinitatis, sive seclusa,  
sive suppositâ revelatione, naturali ra-  
tione evidenter cognosci non potest.
6. In Divinis non tantum admissi debent  
tres subsistentiæ relative, sed præter has  
convenit etiâ Natura Divina subsisten-  
tia absolute.
7. Re-

7. Relationes originis in suo conceper formate  
li nullam involvunt perfectionem sim-  
pliciter simplicem & infinitam.
8. Si Spiritus S. per impossibile non procede-  
ret à Filio, adhuc realiter distinguere-  
ab Eo.
9. Dantur de facto Angelis specificè differen-  
tes.
10. Non solum repugnat, plures creati An-  
gelos solo numero differentes.
11. Imo de facto plures tales creati sunt.
12. Intellectus Angelicus ex suis natura di-  
ribus potest evidenter cognoscere secre-  
ta cordium.
13. De facto tamen evidenter non cognoscit.
14. Angelii non indigent speciebus ad cogni-  
tiones rerum intuitivas.
15. Bene ad cognitiones abstractivas, seu re-  
rum non sufficienter praesentium.
16. Angelii mali non torquentur ab igne.in-  
fernali actione reali seu materiali.
17. Sed torquet eos ignis, agendo in ipsis in-  
tentionaliter.
18. Deus dat cuilibet homini gratiam suffici-  
entem.

19. *Gratia habitualis & charitas sunt realiter idem numero & specie habitus.*
20. *Deus non reddit meritis nostris de causa digno premium ex solo motivo fidelitatis aut gratitudinis.*
21. *Sed ex verâ justitiâ.*
22. *Beatus nostra cœlestis objectiva consistit in solo Deo potito.*
23. *Beatus formalis consistit in operatione intellectus, seu visione, & operatione voluntatis, seu fruitione Dei.*
24. *Principalius tamen in operatione voluntatis, seu fruitione Dei, quâm in visione beatificâ.*
25. *Actus externus addit actui interno distinguit bonitatem & malitiam.*
26. *Datur actus indifferens non tantum in specie.*
27. *Sed etiam in individuo.*
28. *Licitum est, se conformare conscientia verèprobabili in concursu probabilioris, quando agitur de honestate actus.*
29. *Non item, quando agitur de valore actus.*
30. *Nullum peccatum in ratione offensa includit malitiam simpliciter, intrinsecè & formaliter infinitam.*

31. Veniale mortali conjunctum in inferno  
non punitur pœnâ aeternâ.
32. Actus merè interno non cadunt directè  
sub legem humanam.
33. Etiam si Adam non peccasset, nihilominus  
Verbum Divinum humanam carnem af-  
sumpsisset.
34. Merita Christi non fuerunt simpliciter,  
intrinsecè, & formaliter infiniti vaba-  
ris.
35. Sed tantum extrinsecè, & secundum quid.
36. De potentia Dei absolute potuisse pura  
creatura rationalis pro nostris peccatis  
satisfacere de condigno, & ad aequalita-  
tem.
37. Fides Divina stare potest cum evidentia in  
Attestante.
38. De fide est, modernum Pontificem esse ve-  
rum successorem Petri, & Vicarium Chri-  
sti.
39. Viator, cui Deus absolute revelavit suam  
damnationem, nec tenetur, nec potest  
sperare beatitudinem.
40. Licet conuenientissimum videatur crea-  
tura rationali, amare Deum super ono-  
ria intensius.

41. Huius tamen nulla est obligatio.
42. Actus charitatis viae & patrum probabilitus inter se specie differunt.
43. Non datur duorum dominium ejusdem rei in solidum.
44. Vetus simplex factum rerum unico actu consumptibilem separabilis est à Dominio illarum.
45. Sacra menta nova Legis causant gratiam sanctificantem solum moraliter.
46. Aqua in Sacramento Eucharistiae tantum mediate in sanguinem convertitur.
47. Sacramentum penitentia nequit esse validum & informe.
48. Circumstantiae etiam notabiliter aggravantes per se non sunt necessario confitenda.
49. Matrimonium contractum inter inhabiles sub conditione si Papa dispensaverit, habita dispensatione non statim fit validum, sed requiritur novus consensus.
50. Matrimonium infidelium non solum legitimum, sed etiam consummatum dissolvi potest, si alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit & copabitare sine injuria Creatoris.

Ad Majorem Dei Gloriam.



Digitized by Google